

tutam gravitatem, & confessionis factę, mediante exploratione, evidentiam & apparentiam. His concurrentibus, indiciis, confessione facti & circumstantiarum evidentiã, pœnam tutò posse infligi demonstrat. *Zieritz. hęc, verb. si quando.* Vide *Gobl. hęc, art. 59.* & in *auctuario*, ubi dicit, distinguendum esse, an reus in confessione perseveret, nec ne? Confer quoq; *Steph. hęc, per tot.*

ARTICULUS LXI.

Quando captivus ex justâ suspitione tortus, & non convictus est.

1. In hoc casu neq; Judex, neque actor, qui ordinariis & jure concessis modis ac mediis veritatem investigarunt, nullam incurrunt pœnam. Abstinentium enim non solum à malo, sed etiam à suspitione mali. Eleganter *Steph. hoc art.* & ante eum *Gobler. art. 60. in auctuario, Zieritz. hęc, verb. ne in suspitionem aliquam.* Sed quid faciendum; absolvendusne est torturę subiectus, & nihil confessus, si nulla superveniant nova indicia? Absolvendum illum esse adfirmant, *Zieritz. hęc, verb. nulla iudici metuenda erit pœna, Matth. Steph. hęc, art. 58. nu. 6.* licet varias recensent opiniones. Vide quoq; *Ant. Hering. de fideiuss. c. 10. n. 445. & seqq.*

2. Porrò, si innocens quis deprehendatur, neque convinci de crimine intentato possit, sibi sumptus accusator imputabit, æquè accusatus & tortus ex suo alimenta sua exolvat, squalorem, quæstionumq; dolores æquã mente feret. Judex autem ex publico quæstionum impensas, lictorum sportulas, tortoris mercedem, & quicquid ex eã causã impensum est, depromet, *Zieritz. in ipso textu, art. 61. & ibid. Steph.*

ARTICULUS LXII.

Accusatoris probatio.

1. Processus certè anima & medulla est probatio. Hinc rectè dicitur: 1. Non tibi jus, sed probatio deficit. 2. Actore non probante reus absolvitur, *l. qui accusare, 4. C. de edend.* Latius hac de re in *decad. Consiliorum, cons. 10. n. 135. 136.* etiamsi nec exceptionem allegarit, nec allegatam probarit, *l. unic. C. de prob. sequest. pec.* ne in necem suam, tanquam Bellerophon, ad radicandam actoris intentionem probationes exhibeat, *Dn. Iohan. Eichrod. velit. Acad. 4. concl. 14. de oblat.* Vide *Steph. hęc.*

2. Cùm reorum proprium sit negare, sufficit, si æquo, bonoq; Judici satisfactum sit, etsi non parti adversæ, cum adversarius commodo suo serviens, nunquam satis probatum diceret, etiamsi omnium probationum adminicula in unum conferres, adeoque si solem ipsum pro ostendendâ veritate in manu gereres, ut eleganter scribit *Iohan. Oldend. in suo tract. de probat. dict. & fact. in princ. à*

Mascardo (de cuius laudibus agit *Fulv. Pacian. lib. 1. de probat. cap. 1. num. 18.*)

laudatus, 1. de probat. q. 2. num. 25. 26. Zieritz. hęc, c. 62.

verb. diffitente.